

homines, non tantum Paulus ostendit de indigne manducantibus loquens,<sup>247</sup> sed etiam communicatio Iudae proditoris in coena<sup>248</sup> et baptismus Simonis Magi,<sup>249</sup> quam externa signa fallant alios, demonstrant.

Nos igitur gaudemus de Sacramentis nostris, Baptismo et coena Domini, et  
 5 fide confortamur per ea, ut per signa fauentis Dei et gratiae Christi, sic accipientes ea, quemadmodum a Christo sunt instituta et quemadmodum Augustinus eleganter ea visibile verbum esse dixit.<sup>250</sup>

### XVIII. De Missa.<sup>251</sup>

Cum omnia, quae hactenus in libro Interim continentur, huc finaliter tendant,  
 10 ut lucrosa Papistarum Missa retineatur, liber hic proluxa de sacrificiis et oblationibus utitur praefatione et inductione. Nec mirum; nam „Laudat venales qui vult extrudere merces.“<sup>252</sup>

Sed haec laudatio et Missae commendatio nititur impio fundamento, nimirum Reli-[135:]gionis, iure naturae introductae, quae tamen nulla unquam  
 15 fuit nisi ipsissima impietas et idololatria. Nulla enim fuit in mundo religio sine expresso verbo Dei, sine quo omnes omnium gentium cultus fuere idololatrici. Nam quid aliud potuit natura corrupta generare, quam sui simile, scilicet ignorantia ignorantiam, error errorem et impietas impietatem? Patefecit autem Deus e coelo vocali verbo verum sui cultum et veram sui inuocationem,  
 20 ut vera religio sit e coelo lapsis hominibus restituta mox initio post Aadae lapsum et a Deo defectionem,<sup>253</sup> deinde per Mosen ex mandato Dei promulgatae sunt post Decalogum variae leges de sacrificiis et oblationibus quae essent Iudaico quidem populo in legitimum sempiternum,<sup>254</sup> sed interim fuerunt umbrae veri et unici Sacrificii propitiatorii, quo Christus verus Mes-  
 25 sias esset seipsum in cruce Deo patri pro peccatis totius mundi sacrificaturus.<sup>255</sup> Victimae vero, quae fuerunt interim apud gentes, non diuina inspiratione sed *κακοζηλία* seu inepta imitatione sunt introductae; Deus enim non est Deus volens impietatem, tametsi tempora ignorantiae dissimulans gentes suas vias ingredi sinebat.<sup>256</sup> Proinde toto coelo errat liber Interim in hoc,  
 30 quod dicit omnes omnium seculorum gentes fudisse coram Deo vota et preces cultumque gentilium per omnium animos a Deo purgatum et sacrificandi

<sup>247</sup> Vgl. I Kor 11,27.

<sup>248</sup> Vgl. Mt 26,21–25; Mk 14,18–20; Lk 22,21; Joh 13,21–30.

<sup>249</sup> Vgl. Act 8,13.

<sup>250</sup> Vgl. Augustin, In evangelium Ioannis tractatus LXXX,3, in: PL 35, 1840 (CChr.SL 36, 529,5–7).

<sup>251</sup> Vgl. Augsburger Interim XXII, 103–123.

<sup>252</sup> Horaz, ep. II,2,11.

<sup>253</sup> Vgl. Gen 4,26.

<sup>254</sup> Vgl. Ex 20,22–26; 22,28–30; 23,14–19; 25–31; 35–40; Lev 1–7.

<sup>255</sup> Vgl. Hebr 8,5; 9f.

<sup>256</sup> Vgl. Act 14,16f.